



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput II. Dierum festorum institutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

modo univēſe terræ faciem renovavit, ita ut quidquid eſt à Domino inſignis conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum, ait Leo Magnus epiſt. 81. 4.º. Ne quid Chriſtiani cum Judæis commune habere viderentur, Domini- cum diem (inquit Auguſtinus ſerm. 25. de temp.) Apoſtoli, & Apoſtoliſci viri, ideo religio- ſâ ſolemnitate habendum ſanxerunt: quia in eo- dem Redemptor noſter à mortuis ſurrexit. & in ipſo Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit, & (ut Leo proſequitur epiſtolâ citatâ) in hoc mundus ſumpſit exordium, in hoc per reſurre- ctionem Chriſti, & mors interitum, & vita ac- cepit initium. In hoc Apoſtoli à Domino prædi- candi omnibus Gentibus Evangelii tubam ſu- munt, & inferendum univerſo mundo Sacramen- tum regenerationis accipiunt. In hoc, ſicut B. Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in u- num diſcipulis, janus claſſi, cum ad eos Do- minus introiſſet, inſufflavit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis pec- cata, remittuntur eis, &c.

CAPUT II.

Dierum feſtorum inſtitutio.

- 2 PRæter diem Dominicum, Eccleſiæ autho- ritate inſtituti fuerunt dies feſti, ſeu Feſta varia, quorum principalia repræſentant præ- cipua fidei noſtræ myſteria; & idè inſtituta ſunt, ut, ipſis recurrentibus, myſteria illa re- colamus, honoremus, & pro illis gratias aga- mus, pro infinita Dei miſericordia, quâ dig- natus eſt ea operari pro ſalute noſtra, eorum- que nobis fidem, & notiā elargiri. Si enim dies obtentæ alicujus victoriæ extraordinariæ, vel dies natalis alicujus magni Regis, cum læ- titiâ annuè recolatur; quāto magis dignum & juſtum eſt, ut Eccleſia cum lætitiâ ſpiritu- ali, maximique gratiarum actionibus, recolat natalitium Salvatoris diem, vel diem Reſur- rectionis, &c. in quo vita de morte trium- phavit, & nobis à captivitate dæmonis ad vi- tam æternam aditum reſeravit, &c.
- 3 Plurima etiam inſtituit feſta ad honorem beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, in qui- bus intentio ipſius eſt, ut Sanctos illos ſole- mniter honorantes, affectum noſtrum & reverentiam oſtendamus erga Deum, propter quem eos honoramus, & gratitudinem no- ſtram erga Sanctos, per quos Deus nos illu- minavit, & qui per eminentem ſanctitatem ſuam nobis viam ſanctitatis præmonſtrant; ſimul ut ipſorum patrocinium imploremus; Deum in ipſis laudemus, tamquam mirabi- lem in Sanctis ſuis; ac denique ut ad ipſo- rum imitationem accendamus, excitemurque ad confuſionem de diſſimilitudine tanta, quam habet vita noſtra cum vita ipſorum. Nam, ut S. Bernardus ait ſerm. in vigilia SS. Petri & Pauli, tria ſunt qua in feſtivitibus San- ctorum vigilanter conſiderare debemus, auxi- lium Sancti, exemplum ejus, confuſionem no- ſtram. Auxilium ejus: quia qui potens fuit in terra, potentior eſt in calis ante faciem Domini

Dei ſui. Si enim dum hic viveret, miſerius eſt peccatoribus, & oravit pro eis; nunc tanto am- plius, quāto verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patriæ charitatem ejus non immutavit, ſed augmenta- vit... Debemus etiam attendere exemplum ejus: quia quādiū in terris viſus eſt, & cum homini- bus converſatus eſt, non declinavit ad dex- teram, neque ad ſiniſtram; ſed viam regum tenuit, donec veniret ad illum qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Invenimus humilitatem operum ejus, autoritatem verborum ejus, & tunc videbitis quomodo verbo & exemplo lux- rit inter homines, qualia nobis veſtigia reli- querit, ut ambulemus per ea. Sed & diſtinctio- ri inſuſu confuſionem noſtram inſpicere debe- mus in feſtivitibus Sanctorum: quia homo il- le ſanctus, ſimilis nobis fuit, paſſibilis, ex eo- dem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo eſt, quod non ſolum aſſicile, ſed etiam impoſ- ſibile credimus, ut faciamus opera qua fecit? Confundamur, fratres, & contremſcamus ad vocem iſtam, ſi fortè hæc confuſio adducat nobis gloriam, ſi fortè generet gratiam nobis timor ille. Homines iſti fuerunt, qui præceſſerunt nos, qui tam mirabiliter proceſſerunt per vias vite, ut vix eos credamus homines fuiſſe. Sic ergo in Sanctorum feſtivitibus & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia Patronos præ- miſimus; confundi, quia eos imitari non poſ- ſumus, imò non volumus, ſaltem plenâ perfe- ctæque voluntate; aliâ poſſemus.

CAPUT III.

Explicantur opera ſervilia, diebus Dominicis ac Feſtivis prohibita.

PRæcepto de ſanctificatione ſabbathi unum 4 prohibetur, alterum præcipitur. Prohi- bentur opera ſervilia, præcipitur ſabbathi ſan- ctificatio. Quia, ut Gregorius Magnus l. 11. epiſt. 3. ſcribit: Dominico verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnino orationi- bus inſiſtendum, ut ſiquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominica præcipue expietur. Porrò ſanctificationem diei Dominicæ, & feſtorum cultum, per ſervilia opera violari, ſatis indicat tertium Decalogi præceptum, quatenus morale eſt; dicit enim: Sabbathum Domini Dei tui eſt; non facies om- ne opus in eo. Quibus verbis nemo eſt qui non videt omne operis ſervilis genus prohiberi; non quia naturâ ſua turpe ſit, aut malum, ſed quia mentem noſtram abſtrahit à cultu Dei, qui finis eſt iſtus præcepti.

Servilia verò opera ſunt, quæ à ſervis & mercenariis hominibus exercentur, videlicet artium omnium mechanicarum opera, præ- fertim ruralia, & in quibus jumenta labori ap- plicantur. Præterea prohibita ſunt etiam factis Canonibus, & Principum Chriſtianorum Legibus mercatus & nundinæ, judiciarii pro- ceſſus, & ſtrepitus forenſes, judiciales actus, juramenta publicâ, acta publicâ Notariorum, exceptis conventionum connubialium, & te-